



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

XXV. Fortis duo praemia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

fertiva stirpe corruptit. Vita mihi tollitur, sed manus paterna debet. Non potes, pater, legis ejusdem & interrogare supplicium, & denegare solatium. Placabo dexteram meam. Cedo, tantisper exosculetur. O manus olim mea, quæ me parvulum sæpe gestasti, quam sæpe lacrymis puer lavi. Erras, pater, qui facilius existimas hujusmodi cædem videre, quam facere.

X X V.

Fortis duo præmia.

VIRO FORTI DUO PRÆMIA. RAPTARUM LEX. POENA RAPTORIS IN DIEM TRIGESIMUM DIFFERATUR. Ex duobus fratribus unus rapuit. rapta mortem optavit, poena dilata est. alter fortiter fecit. Primo præmio petit fratris incolumitatem. impetravit. Secundo, raptæ mortem postulat. frater contradicit.

P R O R A P T A.

DUm dies computo, & à rapta bonum nuntium spero, subito nuntiatur fratrem meum venisse victorem, ² petitam mihi & veniam, putavi pariter & nuptias. ³ Nec dii sinant, ut ⁴ converso jure, pro raptore rapta teneatur. Interdum præstat ad gloriam non certare, quam vincere. Ego, nisi rebus ipsis ostendo, quod amavi, confiteor injuriam me fecisse quod rapui. Lex dicit: R A P T O R A U T P E R E A T , A U T D U C A T. Ergo raptori si poena remittitur, ⁵ raptæ debetur?

X X V I.

¹ PRO RAPTA.] Lege, PRO RAPTORI. Pith.

² Petitam mihi & veniam.] Videtur excidisse vox hujusmodi: *petitam mihi & impetratam veniam.* Gronov.

³ Nec dii sinant, ut converso.] Scio τὸ Nec vetustissimis ἀντὶ & Non usurpata. In hac tamen formula locis, quibus fidere possis, Ne, non Nec reperio. Habet apud Plantum Bacchid. 3. 3. 64. Mercat. 3. 4. 28. Trinummo 3. 4. 119. apud Livium 28. 28. in fragmento Cor-

nelix Gracchorum matris. Quare & hic malim, *Ne dii sinant.* Et apud Petronium: *Ne istud, inquit, dii sinant, ut eodem tempore duorum mihi carissimorum hominum duo funera spectem.* Et apud M. Senecam præfat. controversi. *In hoc, ne dii tantum mali, ut cadat eloquentia.* Idem.

⁴ Converso jure.] Ex manu sc. converso. Pithœus.

⁵ Raptæ debetur.] Haudquaquam. Scribe: *Ergo raptori, si poena remittitur, rapta debetur.* nempe ut ei nubat. Gronov.